

omnem potestatem agendi in hominem derogare, quandoquidem totum firmamentum est in ipso homine, h. e. firmamentum macrocosmicum cum microcosmico occultam & insignem sympathiam, concordiam, & consensum obtinet; ut notum est veris Philosophis. Atque hæc ego nequaquam de illis stellarum operationibus loquor, quas cælo & astris ridiculi Astrologi affinixerunt, & velut fundamenta ac principia suarum predictionum constituerunt, contra quos pauci Theologi non scripserunt. Illud magis pertendo, incertissima & fallacissima Astrologorum prognostica non obstare, quo minus verissimum sit, cælum physicum in hominem, velut microcosmum, operationes suas exferere. Equidem sic censeo Astrologorum mendacia non magis præjudicare veris stellarum influxibus, quam medicorum errores, herbarum virtutibus ignoratis. Quod a. attinet Scripturæ loca: quæ contra prædictiones Astrologicas à Prophetis damnatas, allegati consueverunt, censeo distinguendum esse inter opera Dei immediata, & mediata sive naturalia. Itaque cum Judæi opera Dei inperscrutabilia ex natura vellet cognoscere, abesse non poterat quin una cum suis astrologis risu punirentur. Similiter inepti fuerunt Pharaon in Ægy-